



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De puella, quae ad hymnum, Te Deum laudamus, chorum Psallentium in
coelum transferri vidit, cap. 90.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

334 DE DIVERSIS VISIONIBVS

virginibus audiuisse sufficiat. Referam tibi adhuc vnam visionem mirificā à virgine visam, quæ supradictis ordinibus equaliter conueniat, & virginum visiones concludat.

CAPVT XC.

Narravit mihi nuper sacerdos quidā de Saxonia, in quodā monasterio, cuius nomen mihi exprimere non potuit, puellam fuisse parvulam, quæ tantum festiuis noctibus vigiliis solennibus interesse permittebatur, & eisdem nondum expletis ire dormitum compellebatur. In quadam festiuitate, cùm magistra in tertio, vt puto, nocturno virginem scapulis ad excundum impelleret, & illa reniteretur, nec proficeret, tristis quidē exiuit, sed iuxta chorum remanens, residua peraudire voluit: cumque incepitus fuisset hymnus, Te Deum laudamus, cœlos vidit aperiri, & in ipsos chorum cum cantantibus subleuari: quando ventum est ad locum illum; Tibi omnes angeli, & reliqua, videntiūuersos ordines angelorum & singulorum ordinum angelos singulos, demissis capitibus, flexisque genibus, manibus extensis Deum adorare, simul omnibus proclamantibus, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus fabaoth, qui Trinitatem personarum in unitate essentiae confitebantur. Similiter fecerunt Apostoli ad illum locum, Te gloriosus Apostolorum chorus: Et cùm chorus incipisset, Te Prophetarum laudabilis numerus, omnes Patriarchæ & Prophetæ prædicto modo adorabant, Venerunt & martyres in suis distinctionibus & in proximo versiculo, scilicet, Te martyrum candidatus laudat exercitus, in laudem erumpentes, maiestati procidebant. Idem de Confessoribus vident atque Virginibus. Cumque extremus hymni versiculos, id est, In te Domine speravi, non confundar, decataretur, chorus ad terram descendit, & cœlum se clausit. Puella omnia hæc videns, & suspirans se tanto bono defraudatam, oculis propriis conquesta est; cumque vibratim fleret, & manè sororibus, causam sciscitantibus, ysum dicere nollet, magistra eam aggressa est: cui te

spō-

spondit, Deus vobis ignoscat, quod tantam mihi gratiam hac nocte subtraxisti, & recitauit ei visionem. Cui illa, Noli flere bona filia, nunquam de cetero te exire compellam. APOLLONIVS: Mirifica sunt quae recitas. CÆSARIUS: Vis nunquam audire octauo loco ex his aliquam quae visu, auditu, & gustu percepta sunt, nec tamen prædictis ordinibus propter distantiam inseri potuerunt? APOLLONIVS: Volo ac desidero. CÆSARIUS: Sicut in capite huius distinctionis præmissum est, schalam erexi, per quam humanæ visioni sancti descendentes, cuius duo latera duo dixi genera visionum, corporale & spirituale: octo etiam inserui scaldilia, supremum attribuens Christo, reliqua sex, sex ordinibus Sanctorum, de quibus sufficienter dictum est. In octauo autem gradu diuersarum rerum visiones loquabo, primò tamen eam, quae visa est de loco nostro.

C A P V T X C I .

Diu antequam conuentus noster de Claustro emissus fuisset, dominus Hermannus, nunc Abbas loci sanctæ Mariæ, tunc simplex monachus in Claustro, nocte quadam per visum ante gradum presbyterij sibi stare videbatur, & datus est ei in manus crucifixus, ut fieri solet in emissione alicuius conuentus: stabant & circa eum viri candidati. Vedit etiam in choro fluuium limpidissimum, qui per utrumque chorū fluebat, & in eo nauim, quam concordens, cum tam rapidissimus esset cursus eius, ut nauis in unum columnarum impingisset, nisi per temponem eius industria fuisset auersa, non stetit, donec veniret ad locum quendam infirmitorio nostro proximum. Venerunt & cum eo supradicti viri candidati. Tunc osfa arida humana cum capitibus ex omni parte mirabiliter quadam virtute a deforis ultra murum cadebant; erat enim, ut Ezechielis visionis recordor, multa valde. Stante conuentu inter montem Stromberch & iam dictum locum, Saluator, qui inter eos stare visus est, unum ex monachis dure satis retraxit, alium modestius amouens, seorsum statuit. Ecce talis fuit visio. APOLLONIVS: Quae est illius interpretatio? CÆSARIUS:

*Visiones
rerum
diuersarum,
i. de ma-
nasterio
Heisler-
bacensi.*

Ezecl. 37.

L 14 Deus

